



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

7 Papa leges suas, ac praedecessorum suorum, an reuocare possit, ac si latae non fuissent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

vel etiam leniter rogatam sine dolo deslorans, nec illam ducere, nec dotare in foro conscientie teneri: sin autem magis precibus rogatam violauerit, in utroque foro ad dotandum tepebitur. In hac autem materia preces, quæ viderentur esse lenes, si a gregario iuvene fierent, dicuntur graues & importunæ, si ab aliquo magna auctoritatis viro puellæ gregariæ fierent. Arg. l. i. ff. quod iussu. & ibi gl. ver. quemadmodum.

DECISIO V.

Ex conf. 2. alias 10. de consang. & affinit.

TRACTANTES de Matrimonio contrahendo in secundo consanguinitatis gradu, & post missam informationem ad Papam, & impetratam dispensationem, se carnaliter cognoscentes, antequam vere fieret dispensatio, ipsique iurantibus quod sese non cognouerint, cum illis Commissarius dispense, ipsique postea Matrimonium publice contrahant, valet dispensatio; cum in impetratione commissionis Papalis subreptio nulla admittitur, eo quod incestum nodum admiserant; & validum etiam censetur matrimonium, eo quod per huiusmodi dispensationem impedimentum secundi gradus consanguinitatis sublatum est, quod matrimonium impedit, & dirimit: solum autem impedimentum incestus impediens, & non dirimens remansit, super quo Episcopus dispensare valet: vnde & eorum filij legitimi sunt, ut potest ex matrimonio legitimo nati; & satis est quod ab Episcopo dispensationem impetrent petendi debitum a se mutuo, & poeniteant, & confiteantur peccata incestus, & periurij & poenitentias iniunctas adimpleant, ut suo matrimonio sancte, & sine peccato fruantur.

DECISIO VI.

Ex conf. 3. alias 2. qui filij sunt legitimi.

FILIJ qui ex matrimonio nullo, ob aliquod impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis iure positio inductum, legitime tamen seruata forma Concilij Tridentini contracto, nati sunt; antequam vterque coniugum, vel alter eorum vere sciret impedimentum, legitimi sunt, absque vlla Papæ dispensatione; ignorantia enim impedimenti parentum, vel alterius eorum filios legitimos efficit. c. 2. & c. referente. & c. ex tenore, qui filij sint legit.

DECISIO VII.

QUAMVIS Papa efficere possit, ut filij, qui concepti & nati fuerunt ex matrimonio nullo ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis iure positio inductum, seruata forma Concilij Tridentini legitime contracto, postquam vterque parentum sciuit impedimentum, legitimi sint, ita ut habeantur legitimi a tempore quo concepti & nati fuerant per approbationem ab ipso Papa factam post mortem alterius parentum, eo quod leges omnes humanas super Matrimonio latis ita reuocare potest, ut pro infectis fingantur, super quibus factæ sunt, ac si factæ non fuissent, nec vllum effectum produxisse dicantur; adeo ut consequenter prædicti filij illegitime nati legitime nati esse fingantur, ut nati fuissent, si tale impedimentum per dictas leges inductum non fuisset: ita Bar. in l. si is qui pro emptore. ff. de vscap. si tamen sine maxima, & iustissima causa id faceret, grauitet peccaret; cum id rarissime sine scandalo, & præiudicio tertij fieri non posse videatur, maxime si personæ illæ, cum quibus dispensatum est, de temporali ipsius Papæ dominio non sint; ita sentit Pan. in c. venerabilem. nu. 26. qui filij sint legitimi facta nihilominus tali dispensatione valida censenda est.

DECISIO VIII.

Ex conf. 77. alias 1. de consang. & affinit.

EPISCOPUS super impedimenti matrimonium dirimentibus dispensare valet, quando impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, & separatio magno foret scandalo; & non possit vel non nisi cum maxima difficultate, propter paupertatem aut alia legitima impedimenta recurrit ad Papam, vel legatum illius haberi. ex Nau. in Man. c. 22. num. 85.

DECISIO IX.

Ex conf. 5. alias 2. de eland. despons.

ABBAS Commendatarius, qui ratione Abbatie iura Episcopalia habet, & est nullius diocesis tanquam ordinarius, c. ordinarij. de offi. ord. in 6. & gl. ibi. & c. cum ab ecclesiis. tit. cod. denunciationis matrimoniorum, quæ in ecclesijs suæ Abbatie, iuxta Concilium Tridentinum fieri deberent, remittere potest; cum præfatum Concilium hanc facultatem ordinarijs indefinire concedat. Et prælati exempti, qui iurisdictione quasi episcopalem habent, ea omnia regulariter facere possunt, quæ possunt episcopi in diocesi sua circa ea, quæ sunt iurisdictionis; ita Gl. in clem. 1. in verb. proprij. de rebus eccl. non alie.

DECISIO X.

Ex conf. 6. alias 13. de eland. despons.

CONTRAHENTES ante Concilium Tridentinum per verba apta ad matrimonium de presenti, vel saltem ad sponsalia de futuro secuta copula, validum matrimonium contraxerunt: c. is qui de sponsa. ita ut post dictum Concilium matrimonium coram suo parochio adhibitis duobus testibus secreto de nouo contrahere opus non erat ex Nau. in Man. c. 22. nu. 70. Sic tamen clandestine ante Concilium contrahentes peccatum mortale commiserunt, cum inhibito de desponsat. clandest.

DECISIO XI.

Ex conf. 7. alias 12. de consang. & affinit.

CUM nulla affinitas ex solo illicito coitu iure naturali, lege veteri, aut vlllo iure antiquo Romano ethnico contrahatur, l. non facile. s. affines. ff. de grad. aff. & l. ea. s. sciendum. Iudæus qui cum ea coiuit, cum qua pater Iudæus coierat, factus Christianus cum illa eadem Christiana facta matrimonium contrahere potest; eo quod affinitas, quæ ex copula, & illi cito coitu nascitur, & qualitas est impediens matrimonium, ex nullo iure prædictorum, sed solo Pæficio producitur: ex Pæficio autem non potest inter Iudæos nasci, quia illo non ligatur: c. Caudemus. de duort. Nec coitus illicitus, qui præcessit baptismi, affinitatem postea impediens matrimonium producere valet.

DECISIO XII.

Ex confil. 20. alias 14. de statu Monach.

MATRIMONIUM ante Concilium Tridentinum inter impuberes verbis non laicis clausis contrahitur, nec verum nec præsumptum esse censetur, c. puberes. de sponsal. impub. & c. is qui. de sponsal. dummodo copula carnalis non sit subsecuta.

DECISIO XIII.

Ex conf. 2. in Nouis. de sch. in antiquis.

MATRIMONIUM coram parochio schismatico canonicam institutionem habente, necdum iure suo priuato aut schismatico declarato tam ante, quam post Concilium Tridentinum contractum, validum est; secus autem si præfatus sacerdos, nec institutionem canonicam, nec coloratam obtinuit.

DECISIO XIV.

Ex conf. 10. alias 38. de voto.

CUM nullo iure Diuino naturaliter indito, neque supernaturaliter tradito, venentur sacerdotibus. Matrimonia: cumque continentia, & sacerdotum non sint inseparabiliter annexa, omnisque lex, quæ prohibet, ne sacerdos matrimonium contrahat, humanius in scriptis data, vel consuetudine ecclesiastica inducta est: Potest Papa, qui supra omne ius humanum est, cuncta per mundum, q. 3. c. proposuit. de consel. præben. iuxta de causa dispensare ut Presbyter, vel Episcopus, vel etiam Archiepiscopus vxorē ducat ex S. Th. 2. 2. q. 88. art. 1. & Caiet. ibi. & to. 1. opusc. tract. 27. iuxta autem dispensandi causa est compositio, vel conseruatio pacis alicuius regni, & promissio de certo successore Regis, ne illo sine liberis antecedente, regnum suū mala patiat, & pax eius violetur. DE-